

## HIERACIUM.

## HIERACII Sp. Linn.

*Involucrum* polyphyllum, ovatum, appressè imbricatum, connivens. *Receptaculum* planum, favosum, lacerato-dentatum. *Achenia* oblonga, sæpiùs angulata. *Pappus* sessilis, pilosus, fragilis, serrulatus, fuscescens.

Herbæ perennes, polymorphæ. Caules nudi v. foliosi. Folia interdum integerrima. Flores terminales sæpiùs aurei, corymbosi.

Obs. Præter Hieracia ferè omnia auctorum, huic referenda est *Andryala lanata* L. Hieraciùm paludosum L. pyrenaicum L. et pilosum Auctor. (*Crepis sibirica* L.) genus distinctum videntur formare, cui nomen *Hapalostephii* dedimus: hocce ab Hieracio differt involucro polyphylo quasi duplo, exteriore laxè patulo membranaceo, interiore carinato connivente oppresso, receptaculo pilis brevibus tectus pappo capillaceo niveo mollissimo, et habitu, foliis runcinatis basi sagittatis, caulibus inanibus sulcatis. *Apargia*, cui receptaculum favosum (nec nudum ut habent auctores) solummodò ab Hieracio, præter habitum, differt pappo plumoso.

1. *H. hispidum*, foliis elliptico-oblongis obtusis mucronulatis denticulatis utrinque hispidosis; radicalibus petiolatis confertis; caulinis sessilibus sparsis, caule erecto ramoso solido valdè setoso, ramis unifloris.

*Hab.* in Nepaliæ alpibus. *Wallich.* ♀.

*Caulis* erectus, ramosus, teres, undique pilis setosis hispidus, palmaris pedalisve.

2. *H. asperrimum*, foliis lanceolatis obtusis sinuoso-dentatis subtùs setosis; caulinis sessilibus, caule erecto tereti hispidissimo, corymbo patente.

*Hab.* in Nepaliâ. *Wallich.* ♀.

*Caulis* tripedalis. *Folia* 5-6-pollicaria, obtusa cum mucronulo.

## Fam. II. LABIATIFLORÆ. Lag. et Decand.

## CHAPTALIA. Decand.

## PERDICII Sp. Linn.

*Involucrum* polyphyllum, imbricatum. *Receptaculum* nudum. *Flosculi radii* ligulati, bilabiati, foeminei (labio inferiore bifido revoluto); *disci* masculi, tubulosi, 5-fidi. *Antheræ* coalitæ, basi bisetosæ. *Stigma* bifidum. *Pappus* pilosus.